

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

I.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)



## I.

**S**pes, salus, & vita nostra æterna, Dominus noster Jesus Christus, servet vos potenter: prolixè benedicat omni vestro ministerio: beatosque, una cum familiis vestris, vos efficiat per omnia: venerandi, mihi toto corde colendi, observandi, chariss. semperq; perfruendi patres, collegæ, fratres. Ut non est in hac vita sanctior, magisq; divina hominum societas, atque conjunctio quam quæ est sacrosancti ministerii Evangelici, ministerii æternæ salutis humani generis: ita nulla etiam, cum sincera perstat, est mundior, solidioreque perfundit gaudio. Cum hujus ergo nostræ in Domino confociationis, & unionis, synceriter atque munificè perseverantis, tam præclaram mihi vestra exhibuerit allata per meos homines epistola, testificationem, gustumq; præbuerit suaviss. ipsi facile intelligitis, quam sancta me voluptate, quantaque in his omnibus, ac communibus afflictionibus, consolatione me recreaveritis. Dominus itaque noster Jesus Christus, amoris hujus & communionis inter nos conciliator & conservator, velit vobis hoc tam eximium, mihi que immortalis gratitudine memorandum charitatis officium, perquam prolixè remunerari. Habeor quidem hic satis benignè, ac quantum fert tanta cœli, linguæ, diætæ, morumque diversitas, tum excolendi tanti, & tam recens cepti repurgari, novalis, difficultates, non incommodè: at tamen quid valeat defyderium patriæ, & maximè patriæ regenerationis, ecclesiæ, tum & vestri, Symmistarum, qui mihi tot periculorum atque laborum, fidissimè & jucundissimè socii fuistis per tot annos; Vos non ignoratis, qua estis præditi humanitate: & minime *deest*. Eo fit, ut quamquam absens in corpore abesse tamen vobis animo non possim: per anxieque quæram semper cognoscere, quomodo res vestræ habeant: indeque mirificam subinde percipio consolationem, dum audio, tanto vos Domini spiritu, adserere regnum filii DEI: & tantum quoque eidem regi & servatori nostro populum retinere, si non per omnia ejus deditum disciplinæ: tamen non frigidè audientem ejus doctrinam: unde spes mihi fit, intellectueros aliquando, quam commodum sit jugum Domini, & quam facilis portatu ejus sarcina, suasque inde cervices jugo huic, & oneri sic subdituros, ut plenam inveniant animabus suis requiem. Sed si

C

mul

mul vobiscum etiam excrucior, conspiciens animo tam horrendas Antichri-  
 storum in DEUM nostrum contumelias, tamque deplorandam non parve  
 partis ex populo, & juventute, per eosdem, seditionem, si non ad ipsorum  
 blasphemias superstitiones, quas ipsi quoque rident: tamen ad infinitam illam  
 nequitiam atque flagitiorum, qua omnia contraminant & perdunt, licentiam.  
 Nam scribitur mihi, & audivi a meis, exleges illos Antichristos, nimis multos  
 pertrahere ad imitationem avaritiæ suæ, usurarum, pompæ, fastus, luxus:  
 unde & lites plurimæ nascuntur, atque exitiales inter cives contentiones, per-  
 niciosissimæque inferuntur infirmioribus ex populo nostro corruptelæ: At-  
 que his malis deesse tempestivæ animadversionis remedia: dum autoribus  
 eorum, legitima exemptis potestate, impunè omnia permittuntur. Ista certe  
 vobiscum mente intuens, eisdem, quibus vos, doloribus merito afficior:  
 oroque eò obnixius Dominum nostrum Jesum Christum, ut dignetur audire  
 tandem supplicum suorum preces, & istos satanas aliquando compescere:  
 quoque id maturè faciat, oro, ut donet nostris, imò suis hominibus, ut cogi-  
 tent, eos omnes ab ipso vitæ æternæ reparatore & largitore planè ignorari,  
 sermones ejus qui audiunt tantum, & non etiam student facere, toto corde:  
 Et sicut norunt esse princeps ejus præceptum, quod cætera omnia continet,  
 præceptum dilectionis mutuæ, vim hujus dilectionis & agnoscant tandem,  
 & in se sentiant, atque explicent, se invicem ita diligendo, complectendo,  
 & juvando, ut nos dilexit, est complexus, juvitque, & juvat, ipse DEUS &  
 Servator noster, qui est causa nostræ salutis, una nobiscum caro factus, desit-  
 que & dat se videndum, audiendum, palpandum, quaritque semper nos,  
 atque instaurat ad salutem æternam: quo & illi sic in eo studeant esse unum,  
 ejus corpus, quod ex ipso capite Christo coaptatum, & coagmentatum, per  
 omnem juncturam subministratiōis (qua quisque pro sua vocatione & mu-  
 nere, iis quibus conjungitur, vitam actionesque Christi subministrat, secun-  
 dum efficaciam uniuscujusque partis) semper augetur, seque in seipsum ædi-  
 ficat in dilectione, præeunte in hoc mutua ædificationis munere, publico Ec-  
 clesiæ ministerio: Et præeunte, sicut assiduis D. Scripturarum explicationi-  
 bus, sic etiam catechismis rudiorum omnium, piaque ad poenitentiam dignis  
 fructibus declarandam, ligatione atque à sacris abstentione, eorum quibus eo  
 sit opus pharmaco: & obstinatè peccantibus, ecclesiamque ad salutem suam  
 audire nolentibus, inter Ethnicos numeratis. Sic enim se mutuo amantibus,  
 & ad æternam salutem jugiter instaurantibus, per cuncta ea salutis nostræ  
 remedia, quæ filius ipse DEI nobis commendavit, sospitator noster: ita lar-  
 gè suum adjiciet incrementum, ut semel è mundo, toto corde exeant, immun-  
 dum ejus non tangant, fugiant conformari huic sæculo, habeant mundum  
 crucifixum sibi, & sint ipsi mundo crucifixi, crucifigantque quotidie carnem  
 suam

suam cum omnibus suis morbis, & malis cupiditatibus (quibus studiis tota debet Christianorum vita consumi) sicque ab omni impietatis inquinamento repurgatos, ac sibi verè sanctificatos, idem redemptor atque vindex noster, ab omni quoque liberabit potestate hostili, dabitque, ut ipsi vivant & serviant absque metu, cunctis diebus vitæ suæ, in omni sanctitate & iustitia. Videris indubiè venerandi & charissimi Symmistæ, quæ multa injiciat jam DEUS & assertor noster, Antichristis, quibus impii & crudeles eorum conatus cottidie franguntur. Vult nos præfenti calamitate castigare, abjicere nondum vult: sed ad plenam regni susceptionem, partim compellere, partim invitare. Haudquaquam feret diu tantas ab hostibus nostris contumelias: cujus duo ista præclara argumenta, me plurimum recreant: quod & hostes indies in magis reprobam mentem, & horrendos furores præcipitat, & vos sic mirabiliter in suo servat, animatque ministerio. In eo vos semper provehat, & faciat indies sua dona, quibus vos sanè magnificè cumulavit, atque ornavit, in vobis invicem, & plenius agnoscere, & ad communem ac perfectam Ecclesiæ instaurationem excitare, fovere, & promovere studiosus. Delectatur munificus DEUS noster, dona sua, suis etiã selectissimis ministris, variè eiargiri, ut ita eos inter sese arctius copulet: & ad gratam sibi donorum suorum communicationem impellat: quam cum facit inter suos vigere, admiranda quoque solet pro suo regno, & electorum suorum salute efficere. Hæc oremus nobis invicem, in hæc incumbamus, quisque pro virili sua: & brevi videbimus optatam sanctæ pacis lucem effulgere: & cunctas Antichristianæ, & impietatis, & crudelitatis tenebras, protul à nobis profligatas. Quæ servator noster populo suo in hoc Regno benefacit, de meaque omni conditione, nunciabit Christophorus noster, pro cujus dimissione, ingentes vobis ago gratias: speroque eum sic se omnibus, & Ecclesiæ approbaturum, cum ministerio suo, tum cunctis reliquæ vitæ suæ officiis, ut & meam erga vos gratitudinem eo sit declaraturus. Singularem enim me hoc vestrum officium gaudio afficit: & peramicam vestram, senatusque dimissionem mei, mihi confirmavit, qua ita semper me dimisistis, ut vester omnino manerem, uti sum, & juvante Christo manebam in æternum. In hoc ipso quam optatissimè valete omnes, una cum præclaris viris presbyteris, uxoribus & familiis. Et sanctiss. Regis nostri studia, ac perpios conatus, salutemque totius regni, ac meum ministerium, Christo servatori nostro precibus vestris studiosè commendare velitis. Cantabrygiæ 14. Octobris, quo die à prandio dimisi à me Christophorum: Condonate hoc mihi temporis, quo in hoc meo filio, perfrui volui vobis omnibus desideratiss. Collegis, & fratribus meis, atque

universa Ecclesia nostra istic. Sarciet filius meus hoc temporis, diligentia,  
& commoditate ministeriorum atque officiorum suorum. Amen.

*Vester totus ut semper minister & frater, omnium  
vest. studiosissimus*

Mart. Bucerus.

II.

GRatiam & pacem, à Domino nostro Jesu Christo. Superiore anno,  
Collegæ venerandi & charissimi, petii à charitatibus vestris, ut annum  
abessendi à collegio mihi concederetur, cum permissione eorum fructuum,  
qui alias absentibus concedi solent. Vos autem pro vestra humanitate, &  
benignitate, non hoc solum mihi concessistis: verum multa adiecistis, quæ  
jure petere non poteram, nec debebam. Pro quo beneficio, egi per literas  
charitatibus vestris gratias. Quas literas, spero vobis esse præsentatas. Jam,  
optimi Viri, ministerium meum hic sacras literas prælegendi, hæcenus beneficio  
DEI, haut fuit inutile, utque illud præstem, summa fide, postulat à me, per  
magna, cum serenissimi regis, tum aliorum aliquot procerum & piorum  
hominum, declarata in me benignitas. Dominus autem me, ab Augusto super-  
rioris anni, gravissimis morbis cœpit erudire, quibus nec hodie in totum sum  
liberatus, tametsi illos multum rursus mitigaverit, jam à mense, sicut etiam  
fecerat à calendis Januarii, usque in Martium, quo tempore morbi illi,  
violentius propè recruduerunt, quam scævierunt initio. Hinc verò factum  
est, ut paulum supra tres menses, munus meum potuerim obire. Cum itaq;  
existiment primores hic, operam meam non parum ad regni Christi restitu-  
tionem, in hac Insula collaturam, religio mihi est, eam Ecclesiis hic, non  
ad unum abhuc annum navare, præsertim, cum res nostræ isthic Ecclesiæ,  
sic habeant, ut mei hoc tempore perexiguus apud eam usus, sperari possit.  
His de causis, à charitatibus vestris rogo atque oro, ut adhuc annum mihi  
concedatis hic Christo Domino & ejus Ecclesiæ ministrandi. Confido enim  
quod ad Decanalem pertinet functionem, procurante eam, eximio viro, &  
Clarissimo compatre meo, Domino Petro Dasypodio, nihil desyderari, à quo  
spero, & vos, atq; me impetraturos, ut eam curationem unum adhuc annum  
sustineat. Sic quoque rebus ad Decanatum pertinentibus, major parabitur  
accessio, etiam successoribus profutura. Opto vos omnes cum nostris  
rectis-